

cordat eisdem dicens. Homo cum in honore. id est gratia gratum faciente esset non intellexit. comparatus est iumentis insipientibus

**¶** Septimo et ultimo ex peccato nascitur diaboli servilis filialitas. Primum iohannis. iij. Qui facit peccatum a diabolo est. Gregorius secundo moralium dicit. Diabolus mentes peccatorum quos tentat. et ad consensum et operationem perducit. ingreditur ibique moratur. Pro his omnibus o infelix peccator miserere anime tue. et noli inducere super eas hec que legisti tanta mala. scilicet offensam dei. leticiam inimici. et damnum proprium. Agnosce homo quod nobiles est anima tua. et quod gravia fuerunt eius vulnera. pro quibus necesse fuit christum dominum vulnerari. Si non essent hec ad mortem sempiternam. nunquam pro eorum remedio dei filius moreretur. Noli ergo vilipendere anime tue passionem. cui a tanta maiestate tantam vides exhiberi compassionem. Sedit ipse lacrimas pro te. lava et tu per singulas noctes lectum tuum cordis compunctione. et lacrimarum assiduitate. Sedit ipse sanguinem suum. funde et tu tuam quotidianam corporis afflictione. Noli attendere quid caro velit. sed quid spiritus poscit. Nam ut dicit gregorius. Unde caro ad tempus suaviter vivit. inde spiritus in eternum cruciatur. Et quo plus caro punitur in hac vita. tanto plus anima gaudebit in futura vita. Augustinus. Voluntarie nunc pro christo postponamus quandoque dimittenda. ne quod absit pro transitorijs amittamus eterna. Si enim tibi diceretur sis toto hoc mense dives et potens et fac quicquid velis. utere carnis voluptatibus sicut placet. ea tamen conditione ut postea tibi oculi evanescant. omne solacium tollatur. toto tempore vite tue i fame et siti. in omni cruciatu vivas et miseria nunquam tale bonum hoc tempore susciperes. Et quidem tota vita hec nec mensis est. nec unius diei vel hore spatium. ad illius infelicitatis eterne inferni comparationem. cui neque finis est. neque pena similis invenitur. Hec augustinus.

**¶** De penitentia cito facienda. iij. ca.

Ut non accipit crucem suam et sequitur me. non est me dignus. scribitur mathei. x. Per hanc crucem penitentia designatur. quam de necessitate quilibet peccator debet suscipere.